

1513 *nere jura possent, tercentas auri libras tributum nomine Maximiliano quotannis penderent: semel autem pro totius rei ac tabularum confectioe, bis mille & quingentas. De iis vero quæ in Carnis essent oppidis, Julii judicium esset, rei ne publicæ an Maximiliano tradenda jure essent. Reliquo fœdere Maximilianus & Hispaniæ rex abolere Pisenum concilium, omnemque suam auctoritatem atque opes Julio tradere ad Ferrariam capiendam tenebantur. quæ duæ quidem causæ Julii animum vehementer exagitabant. nam & concilii contra se initi mirum in modum timore commovebatur: & cupiditate, ut Ferrariam in potestatem suam redigeret, nihil culpæ, nihil sceleris, nihil flagitii prætermittebat. itaque Venetos, qui in illum tot officia contulerant, tantum pecuniæ, ut ad omnes ejus nutus præsto essent, animis libentissimis impenderant, nulla fide, nulla pietate fultus, non deseruerat modo eo conficiendo fœdere, sed plane etiam in prædam hostium, sanguinem & omnem succum reipublicæ sugere cupientium, projiciebat. quamobrem reipublicæ legati ad Julium conversi, non esse hoc illud, quod ab eo expectabatur, conquesti sunt: male, quod injuste amiserant, eo pacto recuperari: sed se confidere Dei Optimi Maximi auxilium reipublicæ non defuturum. Demum ubi Julius ira percitus fœderis capita scribi jussisset, ne scribendo adessent, abierunt. quæ tamen postea capita scripta & confecta sunt. Id cum esset Venetias allatum, literæ a Senatu datæ sunt ad legatos, ne posthac his tractandis rebus interessent. Joannes Medices Cardinalis, Juliano fratre civitate regenda Florentiæ relicto, se Bononiam ad legationem suam contulit. arcisque Brixie custos, homo Gallus, regis sui jussu eam Hispanis ducibus invitus tradidit.*

*Brixienſis  
arx Hispanis  
dedi-  
tur.*

Julius autem Episcopo Curcensium in Cardinalium collegium adscito, quartum Lateranensi vocato Concilio affuit. quo in Concilio adesse Curcensis, nisi prius literæ, quibus aqua & igni Venetis interdiceretur, sibi essent traditæ, noluit. Roma deinde profectus est: cumque in Gal-